

coluit, idq; publicè testatur, quod à SCHELVIGIO ac-
ceperit, unde, si quis erit imposteriorum studiorum
suorum fructus, dimanare possit. Neq; tamen mino-
ri affectu prosequitur, & deprædicat insignem *Am-
plissimi* DN. BÜCHERI industriam, cujus accuratissimi
Viri informatione solidâ ultra anni spatium ita fuit
usus, ut formatum ejus Disciplina ingenium feliciter
deinde applicare ad Philosophiæ studia, in Acade-
miis continuanda, potuerit. Quod B. D. ÆGID. STRAU-
CHIUM, Scholas in Theol. Morali tum aperientem, au-
dire publicè per aliquod spatiū temporis fuerit con-
cessum, in eo quoq; felicitati suæ non additū nihil ar-
bitratur, in primis quod & respondendo, & opponē-
do, sub hujus Viri Moderamine partes suas aliquoties
sustinuerit. Historiam docebat Jctissimus Vir, B. DN.
CHRISTIANUS ROSTEUSCHERUS; in hoc ergo genere
studii tum excolere animū incipiebat, quod magno
deinde ardore prosecutus est, & in delitiis habere
nunquam intermisit. Cum verò nihil præstari solidi
posse in sublimi Divinarum Literarū tractatione in-
telligeret, nisi quis Græcè, pariter ac Hebraicè doctus
esset, idcirco B. DN. WOLFFGANGUM ROSTEUSCHERUM,
& JOH. SALOMONEM, Professores Publicos, studiosè
audivit, & quicquid percipere eruditè prolatum abs
iis poterat, id omne in rem suam convertere non si-
ne curâ allaboravit. His demum instructus subsidiis,
cùm Præceptorum judicio idoneus haberetur, qui

B

ad-